



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Onvphrii Panvinii Veronensis Fratris Eremitae
Augustiniani. De Praecipvis Urbis Romae
sanctioribusq[ue] basilicis, quas Septem ecclesias uulgo
uocant, Liber**

Panvinio, Onofrio

Romae, 1570

De monasterio Honorii Papæ iuxta Lateranum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11316

Ara maxima intus uacua est, & paulo supra aliquot gradus eleuata prope absidam. Habet supra se ciborium marmoreum, quattuor nobilissimi operis columnis albis striatis cum capitulis ornatissimis sustentatum, sub quo corpora sanctorum, quos supra enumeravi, dormiunt.

De monasterio Honorij papæ iuxta Lateranum.

Honorius papa (ut auctor est in eius uita Bibliothecarius) in domo sua iuxta Lateranum monasterium condidit in honorem Dei, & beatorum apostolorum Andree, & Bartholomæi, quod Honorij appellabatur. Cui prædia patrimonij sui, & multa dona obtulit. Ita ille. Ceterum quo in loco id, uel qua parte fuerit, quâ hodie aut dirutum, aut mutato nomine incognitum sit, incompertum est. Forte erat ubi nunc domus hospitalis esse uidimus.

De Patriarchio Lateranensi.

Patriarchium, siue Palatium Lateranense prope basilicam Constantinianam eodem quo basilica condita est tempore, a beato Papa Siluestro Constantini Imperatoris sumptibus exædificatam fuisse opinor. Quod quamquam apud probatos scriptores nō meminerim me legisse, id tamen facile suspicor: quod & uetusta patrum per manus traditione hoc acceperimus: & qui id præterea extruxerit, nemo (quod sciam) memoratur, præsertim quum qui alia Patriarchia condiderint memoria extet, & speciatim earum quæ sunt iuxta s. Petrum in Vaticano, & a recentioribus ante quadringentos annos scriptoribus id aperte referatur. Primus, qui Lateranensis Palatij Siue Patriarchij, quamquam obscure,
men-